

MONACHI CLERICI.

99

riæ trans Tiberim monasterium adiunxisse, in quo posuerit *monachos-canonicos, qui scilicet*, addit, *ad canonum & regule præscriptum districte viverent, ibique divinum officium persolverent*; simulque adducit verba Christiani Drutmari in Matth. cap. 43. *nam & qui vocantur monachi, quia sub regula degunt, regulares dicuntur, hoc est canonici græco nomine.*

SECVLUM
IX.

V. Ex libris fratrum conscriptorum monasteriorum S. Galli & Augiensis manu prima etiam seculi IX. constat, maximam monachorum partem sacerdotali, aut clericali saltem caractere fuisse insignitam. Id quod etiam Mabillonius ad an. 838. de monasterio San-Dionysiano ex veteri membrana societatis cum monachis Remensibus ostendit: atque ex triginta monachis Chrulandensibus, quos Ingulfus tradit effugisse furorem Nordmannorum, decem fuisse sacerdotes, cæteros inferiorum graduum monachos. Idem alibi, præsertim vero præfat. in sec. IV. Bened. exemplis obviis demonstrat. De S. Galli monasterio testatur Ekkehardus, quod *sub Salomone Abbate fuerint simul presbyteri quadraginta duo, diaconi quatuor & viginti, subdiaconi quindecim, pueri viginti.* Ex vita vero Rhabani Mauri apud Mabillonium constat, per diversas provincias fuisse prædia monasterii Fuldensis, *quorum alia quidem per villicos ordinavit, alia vero & maxime illa, in quibus ecclesia fuerant, presbyteris procuranda & disponenda commisit.* Erant autem, adnotante Mabillonio, præpositi illi presbyteri monachi, quibus iniunctum erat, ut statutis temporibus inde necessaria fratribus administrarent. Nominantur ex monachis postea alii etiam presbyteri. Ex decreto autem Concilii Moguntini sub eodem Rhabano an. 847. cap. 14 *nullus monachorum parochias ecclesiarum accipere præsumat sine consensu episcopi. De ipsis vero titulis, in quibus constituti fuerint, rationem episcopo vel eius vicario reddant, & convocati ad synodum veniant.*

Monachi clerici, hierarchæ, Apostoli. sec. IX.

T. II. Annal. p. 608.

Att. SS. sec. IV. P. II. p. 4.

Concil. Germ. T. II. p. 157.

In Concilio Romano sub Eugenio I. P. an. 826. canone 27. id singulariter ordinatur, ut abbates *sacerdotalem quoque honorem sint adepti.* Abbates porro Archiepiscopis & Episcopis iunxit Carolus M. dum ineunte sec. IX. primam synodum examinationis Episcoporum & Clericorum fecit in Aquisgranensi palatio mense Novembri an. 801. ut ex MS. chronico Wirceburgensi adnotavit Eccardus, additis annalibus Laubecianis & Moiffiacensibus. Sic etiam in comitiis annuis primo omnes *episcopi, abbates & honorificentiores Clerici* convenire consueverant, comites vero & cæteri principes seorsim. Magno plerumque numero sub Carolo M. & Ludovico Pio imprimis, conciliis adfuere abbates, post Episcopos sententiam dicentes. Quid vero? quod Episcopi ipsi plerique fuerint monachi, aut in scholis

Lab. T. VIII. col. 110.

T. II. Rev. Franc. Orient. p. 10.

Ib. p. 99.

N 2

faltem